

litem simpliciter materiæ pœnitentiæ, negamus eam Christo: sicut neque in Angelis ponimus temperantiam, vel abstinenciam, aut virtutes, quæ versantur circa corporales passiones, vel opposita earum vitia.

XVI. Ad impugnationes facile respondetur. Ad primam dicitur, quod voluntas humana non est potentia determinate respiciens malum, sed de se solum respicit operari bonum cum indifferentia. Posse autem peccare solum habet ex defectibilitate; unde salvatur vera ratio voluntatis sine defectu, et peccato in Deo. At vero pœnitentia ex sua essentiali ratione respicit vindicationem proprii peccati, et sic supponit subjectum, in quo est pœnitentia, habuisse peccatum; nec salvari potest in subjecto incapaci peccati. Neque est simile de justitia, qua Christus satisfacit Deo, quia dato, quod sit eadem, qua nos satisfacimus hominibus (quod tamen supra negavimus) hoc tamen ideo est, quia invenitur utrobique eadem ratio debiti, scilicet justii æqualis, licet non possimus eam exercere respectu Dei, sicut Christus. At vero debitum pœnitentiæ non potest inveniri in Christo, quia essentialiter est debitum pro peccato commisso ab ipso pœnitente; est enim retractatio ejus, quod commisit: justitia vero generaliter respicit quodcumque debitum æquale respectu cujuscumque detur.

XVII. Ad secundam dicitur, quod casu, quo assumeretur natura hominis cum pœnitentia, habitus pœnitentiæ destrueretur ex mutatione subjecti, quia pertinet illa natura ad aliam personam; quæ persona est incapax peccati; unde ex consequenti destrueretur materia, seu objectum pœnitentiæ, quia est peccatum commissum ab eademmet persona pœnitente: ista autem per-

sona non commisit peccatum, et ideo non potest uti tali habitu. Ista autem natura, antequam assumeretur, potuit committere peccatum, sed in mera persona, nempe dum erat in persona creata; remota autem tali persona per assumptionem, jam non potest per pœnitentiam vindicare peccata illa, quia alterius personæ sunt, non hujus, quæ modo assumpsit naturam.

XVIII. Ad tertiam dicitur, quod illi actus conditionati in Christo versarentur circa objectum intrinsece impossibile ipsi personæ, ex propria ratione personæ, non ex aliquo accidentali statu: et tales actus conditionati circa materiam omnino impossibilem, non sufficiunt ad constituendam virtutem in subjecto; alioquin ponerentur in Angelo virtutes circa passiones corporales; et in diabolo peccata carnalia, quia possunt habere actus conditionatos: Si possem jejunare, jejunarem: si possem luxuriari, peccarem. Quando vero actus conditionati sunt circa materiam possibilem absolute ipsi personæ, licet impossibilem ex aliquo accidentali statu, sic respectu talium actuum potest manere virtus in subjecto, et sic in primo parente, et in beatis est habitus pœnitentiæ, et in paupere magnificentia, et in corrupta virtus virginitatis. Actus autem simplicis detestationis, aut odii peccati, non sunt actus pœnitentiæ, sed charitatis: actus autem pœnitentiæ est detestatio ut expiativa, et satisfactiva proprii peccati.

ARTICULUS V.

Utrum aliquis actus, vel habitus propriæ spei fuerit in Christo?

I. S. Thomas hic articulo quarto expresse excludit a Christo spem, quæ est virtus theologica; quod in-

telligendum est, tam de actu, quam de habitu, quia utrumque convincit ejus ratio. Admittit tamen spem, quæ non sit virtus theologica, circa ea quæ nondum plene adeptus erat, ut circa immortalitatem, et gloriam corporis, quam poterat sperare.

II. Ex qua resolutione sancti doctoris resultat duplex difficultas, altera circa ipsam virtutem spei theologice; altera circa illum actum spei communiter dictæ. Nam pater Suarez in commentario hujus articuli quarti, tenet in Christo et in beatis dari habitum spei theologice, qui tamen in illis non denominatur spes, quia non potest exercere in illis perfectiorem, et difficiliorem actum, qui est sperare visionem beatificam, ut facit in via, sed ibi deservit ille habitus ad eliciendum actum amoris concupiscentiæ, quo sibi desiderat beatus gloriam corporis; qui actus supernaturalis est, et a nullo alio habitu elici potest, nisi ab habitu spei, qui elicit in nobis amorem concupiscentiæ erga beatitudinem, quod est esse in Christo spem, quoad id, quod est perfectionis in ipsa; non quoad connotationem imperfectionis, sicut dicit S. Thomas infra art. IX ad primum, et III, distinct. XIII, quæst. I, art. II, quæst. I ad primum.

III. At vero Vazquez hic disp. XLIII, cap. II, censet e converso mansisse in Christo actum spei virtutis theologice, non tamen habitum, quia existimat actum virtutis spei theologice, in eo præcise consistere, quod aliquid speremus a Deo innitendo ejus auxilio, quidquid illud sit, quod speremus, sive beatitudinem, sive aliquid aliud, sicut fides est in eo, quod credamus divino testimonio, quidquid illud sit, quod credimus. Arduitate vero ad actum spei requisitam constituit in hoc, quod res, quam speramus, non sit posita in potestate sperantis, sed ab

alio conferenda sit; Christus autem Dominus expectabat gloriam corporis a Deo, et non a se, et sic proprie sperabat illam. Hæc est difficultas a recentioribus posita circa habitum, et actum virtutis spei.

IV. Est tamen alia longe major difficultas tacta a Cajetano hic; nempe a quo habitu proveniat ille actus spei, vel desiderii, aut concupiscentiæ, vel quidquid illud sit, quo Christus expectabat gloriam corporis. Et resolutio hujus dependet a secunda difficultate, quæ ex verbis S. Thomæ deducitur. Admittit enim in Christo spem licet non theologice; et difficultas est an sit vere, et proprie actus spei; an vero desiderium, vel concupiscentia, sicut in reliquis beatis, et a quo habitu procedat. Nam communiter Thomistæ tenent non esse vere, et proprie spem, licet non ita curent loqui de spe, ut distinguitur a desiderio, sed solum negant non esse spem theologice; an vero sit actus spei proprie dictæ, et distinctæ a desiderio, licet non sit spes theologice, non multum curant; sed communiter eodem modo loquuntur de Christo, et de beatis, et utrisque negant spem non proprie dictam, sed solum largo modo sumptam pro desiderio.

RESOLUTIO DUBII.

V. Dico primo: In Christo Domino nullo modo est ponendus habitus, vel actus spei virtutis theologice. Hæc est expressa S. Thomæ 2-2, quæst. XVIII, artic. II, ubi aperte dicit, quod potuit Christus sperare immortalitatem corporis, etiam ut viator; non tamen ita quod haberet virtutem spei, quæ non respicit gloriam corporis, ut principale objectum: ergo ponere virtutem theologice, vel actum illius respectu

hujus gloriæ corporis, est contra S. Thomam.

VI. Et probatur efficaciter ejus ratione. Etenim destructo principali objecto, et ratione formali specificante, implicat remanere actum, vel habitum specificatum, non minus quam manere rem aliquam sine sua forma; sed formalis ratio, et objectum specificans actum, et habitum spei theologicæ est beatitudo divina ut consequenda: ergo posita ejus consecutione non potest manere virtus spei respectu alterius objecti secundarii, sive consequendi, sive concupiscendi. Consequentia patet, quia remoto principali objecto, et ratione formali non potest remanere ordo ad secundarium, quia non attingitur nisi in virtute primarii, a quo essentialiter dependet in specificando. Minor probatur, quia spes de qua loquimur, est virtus theologica; ergo habet pro objecto primario et immediato, et specifico aliquid divinum, tamquam rem, quam immediate attingit; ergo illo objecto sublato circa nullum objectum creatum, et secundarium potest manere virtus spei, etiam quantum ad actum concupiscenditalem objectum secundarium, ut dicebat Suarez.

VII. Nec sufficit cum Vazquez respondere, quod objectum virtutis theologicæ consistit in hoc, quod tendatur in aliquod objectum sub ratione divina, sive sit creatum, sive sit increatum. Fides enim non est virtus theologica, ex eo quod credit testimonio divino, sive id quod credit sit Deus, sive aliquid aliud, et idem est de spe.

VIII. Sed contra, quia virtutes theologicæ ordinant hominem circa finem supernaturalem in se, non circa media ordinata ad talem finem, ut constat ex communi theologorum sententia 1-2, quæst. LXII, artic. III: ergo oportet, quod non solum ex

ipsa ratione tendendi, sed ex parte ipsius objecti quod, seu rei in quam tendunt, respiciant Deum in se, si quidem Deus in se est finis supernaturalis, non autem aliquid extra Deum. Ergo non sufficit ad virtutem theologicam attingere aliquid creatum sub ratione divina, sed oportet attingere ipsum Deum in se, ut rem attactam, quia finis, qui intenditur per virtutes theologicas est ipsa res, qua frui debemus in beatitudine; ergo si istæ virtutes theologicæ ponuntur in nobis ad attingendum finem, oportet, quod versetur circa Deum, tamquam circa rem attactam ex sua specie, non autem res attacta sit aliquid creatum.

IX. Dico secundo: Probabilissimum est in Christo Domino, in quantum viatore, fuisse actum veræ spei communiter dictæ, ut distinguitur a desiderio, vel ab alio actu, qui non sit spes. Sumitur ex S. Thoma in quæstione, disput. de spe, articulo ultimo ad ultimum, ubi inquit, quod Christus speravit secundum communem rationem spei, non autem habuit spem, quæ est virtus theologica. Urget etiam locus ille citatus ex secunda secundæ, quæst. XVIII, art. II ad primum, ubi loquens de Christo, ponit differentiam inter ipsum, et beatos, quod Christus licet esset comprehensor, erat tamen simul et viator, quantum ad passibilitatem naturæ, quam adhuc gerebat, et ita gloriam immortalitatis sperare potuit, non tamen ita quod haberet virtutem spei, quæ non respicit gloriam corporis, sicut principale objectum, sed sic est, quod in reliquis beatis ponitur desiderium, et expectatio gloriæ corporis; ergo si aliquid amplius concedit Christo, quam beatis, manifestum est, quod concedit illi aliquid amplius, quam desiderium, neque est aliud quam spes communiter

dicta, licet non sit spes theologica.

X. Fundamentum autem est, quia ad rationem veræ spei, ut distinguitur ab aliis actibus, solum requiruntur illæ quatuor conditiones, quas numerat S. Thomas 1-2, quæst. XL, articulo primo, quod habeat pro objecto bonum possibile, futurum, arduum. Et de tribus primis constat, quia etiam illas habet desiderium, et expectatio. Difficultas vero est de arduitate; est autem duplex arduitas, una quæ tenet se ex parte periculorum, et difficultatum, sicut invenitur in exercitio actus fortitudinis, et audaciæ, quæ versatur circa difficillima pericula, qualia sunt pericula mortis, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. CXXIII, art. IV et III: alia est arduitas, quæ solum importat quamdam incertitudinem ex parte eventus futuri, ratione cuius dicitur quis sperare id cuius nondum habet sufficiens principium, et inevitabile ad assecutionem rei.

XI. Hinc ergo nascitur diversitas opinionum, quia enim Christus ut beatus habebat simpliciter principium indeclinabile assecutionis gloriæ corporis, ideo dicit una opinio, quod illam sperare non poterat; sufficit enim ad exclusionem spei, quod subjectum indeclinabiliter sit certum de assecutione rei speratæ ex quocumque principio certificetur, dummodo sit principium intrinsecum, et in propria potestate positum, propter argumentum quod fieri solet de eo cui facta est revelatio suæ prædestinationis, qui est omnino certus de illa, et tamen adhuc sperat, sicut et anima in purgatorio. Quod tamen ideo est, quia non est certus ex vi alicujus principii intrinseci, et possessi, sed extrinseci; et sicut fides excluditur a subjecto ex quocumque principio fiat evidentia, quia requiritur, quod subjectum sit non videns; ita ex

quocumque principio subjectum sit certificatum de re assequenda. excluditur spes, quia requiritur quod subjectum non sit certum inevitabiliter, et ratione propriæ potestatis de assecutione: sufficit ergo, quod Christus in quantum beatus habeat principium inevitabile gloriæ corporis, ut non posset sperare illam, etiam ut viator, sicut non habet fidem ut viator, hoc ipso quod habet evidentiam ut comprehensor. Hæc est valde probabilis opinio.

XII. Cæterum pro opposita sententia, quam diximus probabilior, fiat oppositum fundamentum, quia spes non excluditur per hoc, quod subjectum sit certum de re assequenda per quocumque principium, sed per illud, quod est regula actus spei; et quia Christus, in quantum viator, non regulabatur scientia beata, nec illo principio beatitudinis, ideo vere, et proprie sperabat gloriam corporis.

XIII. Et sumitur duplex fundamentum. Primum a posteriori, quia quantum ad hoc, eodem modo se habent timor et spes, quantum ad sperandum bonum, vel vitandum malum; sed Christus Dominus, non obstante illo principio intrinseco beatitudinis, et divinitatis ad vitanda quæcumque mala, adhuc ut viator habebat vere, et proprie timorem; ergo non obstante eadem certitudine de assequendo bono poterat habere vere, et proprie spem. Major est doctrina S. Thomæ 1-2, quæst. XLII, art. III, ubi inquit, quod sicut objectum spei est futurum arduum, quod quis potest adipisci, ita timor est de malo futuro arduo, quod non potest de facili vitari; ex quo inquit: « Potest accipi, quod id quod omnino subjacet potestati, et voluntati nostræ, non habet rationem terribilis, sed solum illud est terribile quod habet causam extrinsecam. » Requiritur ergo ad rationem timoris,

quod aliquo modo non sit in potestate nostra, ut timeri possit, quia tunc non timetur quando omnino subjacet potestati, et voluntati nostræ. Et idem requiritur ad objectum spei, quod quando omnino, et ex omni parte subjicitur potestati nostræ, non speratur; si tamen ex aliqua parte non subjiciitur, adhuc sperari potest.

XIV. Minor vero est doctrina expressa S. Thomæ infra quæst. xv, art. vii, ubi docet, quod in Christo fuit verus timor, licet non causatus ex incertitudine eventus, sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu ignorantibus quid sit; timor enim non poterat nasci ex ignorantia in Christo, et licet fuisset in Christo principium, et potestas vitandi omnia mala, inde tamen non excluderetur timor, quia ut ibi docet S. Thomas ad tertium, licet Christus potuerit vitare mala futura secundum virtutem divinitatis, erant tamen inevitabilia, vel non de facili evitabilia secundum infirmitatem carnis.

XV. Unde fit argumentum, quod mala sint de facili evitabilia, et in potestate ipsius hominis tollit timorem, ut docet S. Thomas loco citato, 2-2, quæst. xlii, sed quod sint evitabilia de facili ab ipso subjecto secundum unum principium, scilicet, ex virtute divinitatis, quæ per humanitatem operabatur, non tamen sint de facili evitabilia ex altero principio, scilicet, ex infirmitate carnis non tollit timorem; ergo similiter quod habeat certitudinem rei assequendæ ex uno principio, scilicet ex beatitudine, si tamen ex alio non habet, ex quo regulatur ille actus sperandi, non tollitur vera ratio spei, quia in hoc æquiparantur timor, et spes.

XVI. Et secundo id confirmatur, quia incertitudo, et contingentia in objecto spei, in tantum requiritur

in quantum requiritur, quod objectum non sit de facili assequibile ab isto subjecto; sed quod Christus habuerit principium facilis assecutionis, in quantum beatus, non influebat facilitatem istam in ipsum in quantum viator, quia in quantum viator non regulabatur, nec utebatur illo principio beatitudinis; ergo nullo modo reddebatur objectum facile assequibile, quia ista facilitas assecutionis dependere debebat ex aliquo principio influente illam; ergo si illud principium beatitudinis nihil influebat in operationem viatoris, nihil omnino refert, quod tale principium sit, vel non sit in subjecto, quia si non influit, est perinde ac si non esset.

XVII. Ex quo apparet disparitas inter fidem, et spem, quia objectum fidei est obscurum, et non visum. Unde si subjectum habeat evidentiam de tali objecto sine alio influxu, impedit ne possit moveri intellectus ab objecto obscuro, quia supponitur intellectus convictus ab ipsa evidentia rei. Unde non est capax, quod moveatur tamquam non convictus per testimonium dicentis, et piam affectionem voluntatis, sicut mobile quando quiescit, simpliciter manet pro tali statu impeditum ne moveatur ab alio. At vero quod objectum reddatur facile, et tollatur ejus arduitas in assequendo dependet, non solum ex hoc quod subjectum habeat potestatem assequendi illam, sed etiam quod talis potestas non sit impedita, sed possit facile uti illa. Christus autem in quantum viator ita operabatur sine influxu beatitudinis, quod erat ei perinde ac si illam non haberet, quia erat impedita ne influeret in corpus; remoto autem influxu facilitatis ad assequendum, objectum remanet arduum, et non facile.

XVIII. Dico ultimo: In hac opinione, quod in Christo sit vera, et

propria spes respiciens arduum, dicendum est habitum elicivum illius esse magnanimitatem infusam, cujus pars integralis est fiducia: in opinione autem, quod ille motus non est spes, sed desiderium, quia non habet rationem ardui, dicendum est elici a charitate, quatenus habet gaudium, et fruitionem de possessione rei, sive in se, sive in sua radice.

XIX. Pro prima parte supponendum est ad virtutem magnanimitatis pertinere, quod tendat in objecta magna digna honore, et versatur circa passionem spei, quatenus aggredditur res magnas, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. cxxix, art. 1, et similiter in articulo vi ad octavum, docet: « Quod fiducia importat quemdam modum spei, scilicet spem roboratam ex aliqua firma opinione. » Unde perperam aliqui collocant fiduciam, seu spem in iudicio intellectus, cum tamen dicat: « Motum voluntatis, qui est spes prout ex aliquo firmo iudicio roboratur. » Cum ergo Christus Dominus habuerit magnanimitatem infusam in summo gradu, per illam movebatur ad res maximas, et summi honoris, ut erat gloria corporis, exaltatio, et claritas sui nominis, et illa eliciebat actum spei, seu fiduciæ, erga talia objecta, quatenus ut viator reputabat illa ut ardua, et per multos labores exequenda. Unde in Persona Christi dicitur ad Hebræos 11: *Ego ero fidens in eo*; ergo Christus procedebat cum fiducia, quæ utique, ut spes, ad magnanimitatem pertinet.

XX. Nec repugnat per magnanimitatem sperare aliquid, quod dependet ex auxilio divino, et ex aliorum adminiculis, ut expresse docet S. Thomas citatus quæst. cxxix, art. vi ad primum, licet in quantum movetur ex magnitudine animi ad tendendum in res magnas, ha-

beat etiam fiduciam de se ipso, cum tamen spes theologica nullo modo innitatur in se ipso, sed solum in auxilio divino; et sic ponit differentiam inter magnanimitatem, et spem theologicam S. Thomas 2-2, quæst. xvii, art. v ad quartum.

XXI. Pro intelligentia autem secundæ partis, supponendum est, sanctos vere desiderare gloriam corporis, et orare pro ea, ut docet S. Thomas in iv, dist. xlv, quæst. iii, art. iii ad primum, et 2-2, quæst. lxxxiii, artic. xi ad primum. Desiderium autem, sicut et gaudium de re amata est effectus charitatis, et ab ea procedit secundum actum fruitionis, quia desiderium est quædam imperfecta fruitio, et gaudium non plenum, nec quiescens, sed tendens ad id, quod deest. Ibidem S. Thomas 2-2, quæst. xxviii, art. iii. Et quando gaudium istud est plenum, et perfecta fruitio est una ex dotibus animæ beatæ, correspondetque charitati, quatenus importat dilectionem; et spei quatenus importat comprehensionem, id est, pacificam possessionem beatitudinis, ut dicitur in additionibus quæst. xcvi, art. v.

XXII. Unde sicut ad charitatem pertinet gaudium, non solum, quod est plenum in patria, sed etiam imperfectum, quod est in via, ita pertinet et desiderium, quia gaudium imperfectum non est sine desiderio; est enim tale gaudium, quod nondum plene quiescit, sed restat aliquid acquirendum, et ratione ejus, quod restat, desiderat. Ex eadem ergo charitate nascitur, quod quis desideret gloriam corporis, quam non habet in se formaliter, et quod fruatur illa in sua radice, et principio, quia habet gloriam animæ, quæ est principium inevitabile gloriæ corporis: ideoque habet desiderium propter dilationem, non tamen spem, quia caret arduitate,

propter possessionem radicalem talis rei suo principio.

XXIII. Et quomodo objicitur, quod ille amor est concupiscentiæ, quia volumus illud bonum nobis; ergo non potest esse motivum charitatis, quæ est amicitia, et vult bonum amico, non sibi: quod præsertim urgetur, si aliquis vellet bonum divinum solum, quia est propria perfectio, et bonum sibi, præscindendo a motivo charitatis, seu amicitiae, quod est bonum alterius, tunc a quo habitu elicitur ille actus.

XXIV. Respondetur illum amorem, licet sit concupiscentiæ, non pertinere ad spem, quia excludit omnem rationem ardui, sine quo non datur spes: pertinet tamen reductive ad charitatem, quia non excedit motivum charitatis, quia licet charitas sit amicitia, et erga alterum, non contrariatur amori concupiscentiæ erga se, sed illum supponit, quia amicabilia ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad se. Solum ergo amicitia excludit, quod ametur aliquis sistendo in se, et non volendo communicationem ejus ad alterum. Si autem aliquis velit communicari alteri, non excluditur, sed potius supponitur concupiscentia talis boni erga se, quia amicus est quasi alter ego. Per charitatem autem non solum amamus ipsum Deum, sed etiam proximum, et nos ipsos propter Deum, et consequenter, sicut volumus Deo bonum, verbi gratia gloriam ejus, sic et nobis volumus bonum divinum ex Deo, et propter Deum. Quare amor ille concupiscendi nobis bona divina ex charitate esse potest, quatenus gaudet de bono divino, et vult illud ut participatum in nobis.

XXV. Ille autem actus volendi mihi bonum divinum cum præcisione, quatenus mihi bonum est, et supernaturalis sit, quia est de

objecto supernaturali, et modo supernaturali voluto, si quidem non possum desiderare efficaciter mihi rem supernaturalem, nisi sub motivo, et medio supernaturali, dico, quod vel ille actus sic præcisus non elicitur in patria propter sui imperfectionem; sicut enim charitas perfecta foras mittit timorem, ita et concupiscentiam, quando taliter vult sibi bonum, ut excludat motivum charitatis: hæc enim exclusio magna imperfectio est; vel si talis actus datur in patria, elicitur aliquando ab auxilio aliquo debito ipsi charitati quatenus extenditur secundario ad volendum bonum divinum, ut participatum est in nobis; et sic potest velle illud, non per exclusionem motivi charitatis etiam radicaliter, sed per meram præcisionem, quatenus vult bonum sibi, et non exprimit illi ordinem ad alterum, licet non totaliter excludat.

ARTICULUS VI.

Utrum in Christo fuerit donum timoris?

I. Loquimur de dono timoris hic, non solum pro habitu, sed etiam pro actu: neque enim negandum est in beatis dari actum doni timoris, et non solum habitum, ut contra Durandum communiter tenent theologo. De isto autem actu sumitur difficultatis punctus ex duplici principio. Primum quidem, quia timoris actus debet includere timorem communiter dictum, sicut species includit suum genus; timor autem communiter dictus importat fugam mali imminentis; timor quidem filialis fugam culpæ; timor autem servilis fugam mali pœnæ, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. xix, art. ii, sed Christus respectu nullius mali

timorem habere poterat, neque fugam; nam respectu mali culpæ erat omnino impeccabilis: respectu mali pœnæ, omnino securus, et omnia habens in potestate sua; essetque magna imperfectio ponere in Christo timorem mali pœnæ, qui est timor servilis.

II. Nec sufficit recurrere ad pœnam, vel culpam ipsi humanitati possibilem, si dimitteretur a Verbo; sic enim poterat annihilari, peccare, etc. Hæc enim omnia non poterant apprehendi a Christo ut mala imminencia de proximo, et ut practice mala: sed ut remotissima, et solum speculative possible. Timor autem respicit malum imminens, non ut absolute possibile. Et quidem talia mala si essent mali pœnæ non deserviebant dono timoris, qui est timor filialis, sed timori servili, qui non erat in Christo: si autem erant mala culpæ, non poterant timeri humanitati Christi, quamdiu erat in Persona divina, sed si transiret ad aliam; ergo Christus in natura assumpta nihil poterat timere.

III. Secundo, oritur difficultas ex dictis S. Thomæ. Nam ipse ponit hic articulo sexto, quod in Christo non fuit timor, secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam, aut malum punitionis; sed secundum quod respicit divinam eminentiam, prout anima Christi quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum a Spiritu sancto acta, contra quæ duo obstant ex ipso S. Thoma. Primum quidem 2-2, quæst. xix art. xi ponit in beatis actum doni timoris per modum fugæ mali, ut possibilis naturæ; impossibilis autem beatitudini; ergo similiter in Christo donum timoris debet habere actum fugæ respectu mali, ut possibilis naturæ; impossibilis autem unioni hypostaticæ. Secundum, quia dicit idem sanctus doctor ibidem art. ix ad secundum, quod princi-

pale objectum, et proprium timoris est malum, quod quis refugit, et quia per hunc modum Deus est objectum timoris, non autem objectum spei, et aliarum virtutum theologiarum, ideo donum timoris non est virtus theologica.

IV. Ex quo formatur argumentum: Remoto principali, et proprio objecto alicujus habitus, removetur quidquid secundarium est: sed in dono timoris principale, et proprium objectum non est Deus, sed malum, quod quis refugit; alioquin esset virtus theologica: ergo remoto illo objecto, quod est malum, removetur essentia doni timoris: ergo si in Christo non fuit actus refugiendi malum, sed solum intendi in Deum, non salvatur donum timoris, nec principalis actus illius.

V. Propter hæc divisæ sunt theologorum sententiæ. Quidam enim simpliciter negaverunt actum fugæ in dono timoris, prout in Christo; sed solum ferri in divinam eminentiam sine respectu ad malum. Cajetanus tamen hic affirmat, quod respicit divinam eminentiam, ut potentem infligere malum. At vero alii admiserunt veram fugam mali in dono timoris, sed variant in assignando ejus objecto: nam aliqui putant esse fugam mali respectu culpæ, ut possibilis ipsi naturæ humanitatis in Christo, vel in beatis, si separetur persona, vel beatitudo, quia actus licet non respiciat malum imminens, et ita non habeat omnem modum, et perfectionem timoris, habet tamen quantum ad aliquid, scilicet quantum ad fugam mali impossibilis. Ita Suarez disp. xx, sect. ii in fine. Alii dicunt habere pro objecto non malum culpæ, sed absolute quodcumque malum, verbi gratiæ annihilationem. Sciebat enim Christus posse destrui humanitatem ejus a Deo, et inde oriebatur reverentialis timor ad ip-